

05

A

2111





כבוד
Dissertatio Philosophica
De
AMICITIA,

Quam
SUB PRÆSIDIO
WILHELMI NIGRINI,

Pract. Phil. P. P. & Facult. Philos. p. t. Decani

Ad publicam συζήτησιν emittit

JOACHIMUS BROCKWEDELIUS

Lögnitzensis,
habebitur

In Collegij Veteris Ἀρχοαρχείο

Ad diem 26. Januar. horis matutinis

OVID.

Tuta frequensq; via est, per amici fallere nomen.

Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS,

ANNO M. DC. XXXVII.



05 A 2m





כִּהוּן

THESIS I.



Micitia dicitur ab *amando*, perinde ut apud Græcos *Φιλία*, ἀπὸ τῆς *φιλεῖν* denominatur: quia sine amore & mutuo affectu nulla est amicitia. Unde Cicero lib. 2. de Finibus inquit: *Quid est amare à quo nomen amicitie ductum, nisi velle bonis aliquem affici quàm maximis, etiamsi ad se ex his nihil redeat.* Amicum Veteres etiam *amœcum* scripsisse testatur *Becmannus* in origin. quasi, ab *ἀμ* & *ὄμοσ* i. e. qui juxta domum nostram habitat: non aliã puto de causa, quam quod eò facilius amici studia, operasque suas communicent. Quod & Hebræi emphaticè nomine *עֵר*, quod ipsis notat amicum, testatum faciunt; quod venit à radice Hebræâ *עָרָר*, quod significat amicos (proximè ita cohabitantes) decere, se mutuo amore, benevolentia & officiis Amicis condignis pascere.

II. Sumitur autem vox *amicitie* diversimodè: 1. *generalissimè* & *latissimè* pro quavis rerum naturalium inter se *συμπαθεία* & convenientiã: Sic pluvia amica plantis, ulmus viti, olea myrto fertur: Sic etiam aurora Musis amica esse dicitur, id est, congrua & conveniens. 2. *Generaliter* & *latè* pro amicabili affectu cum inter beluas, tum inter homines & beluas. Sic ovis naturaliter amat ovem, seque illi associat: Sic homo canes, & vicissim canes hominem. 3. *Specialiter* & *strictè* pro mutuo inter homines amore & concordia, quæ significatio est hujus loci.

III. Quomodo alij amicitiam describant videre est apud *Piccolom. Grad. 7. Philosophiæ Moralis c. 3. p. 576. & 577.* Nos eam cum *Aristotele* ex lib. 8. *Ethic. Nicom. c. 2.* Item ex lib. 2, *Magn. Moral. c. 7. & lib. 7. Eth. Eudem. c. 3.* ita definimus: *Amicitia est mutua & manifesta inter aliquos benevolentia, vel virtutis vel voluptatis vel utilitatis causa, ejus ipsius gratia, qui amatur, animo concepta.*

A 2

IV. In



IV. In hâc definitione generis vicem sustinet benevolentia: reliqua ad differentiam pertinent. Amicitia igitur est & dicitur benevolentia, quia hâc non modo est latior amicitia: verum etiam sine eâ nulla potest esse vera amicitia. Nam qui alicujus est amicus, is dicitur etiam ei bene velle, alioquin non est verus amicus.

V. Cæterum ne differentiam prædictæ definitionis intactam relinquamus, requiritur in amicitia 1. ut benevolentia ista sit mutua, h. e. ut & tu amico, & amicus tibi quam optimè velit: aliàs siquidem nulla inter vos vel iniri, vel semel inita diu conservari poterit amicitia, quæ semper inter duos certo respectu ad se mutuò affectos consistit, hominesq; diversos inter se ceu glutino, & vinculo quodam compingit: unde amicus dimidium animæ insignitur.

VI. 2. Ut benevolentia ista sit manifesta, h. e. aperta, & minimè latens, quæ verbis, factis, & officiis declaratur. Sicut enim argenti & auri usus nullus est, si ea abscondantur: ita nec benevolentia, si ea in lucem non protrahatur, nec signis, indicijsq; amato demonstratur. Quandoquidem alter nescit affectum tuum in animo tuo latentem, nisi ipsi cum aperto officij signo convenienter detegas, & manifestum facias.

VII. 3. Ut benevolentia illa concipiatur vel virtutis, vel voluptatis, vel utilitatis causa. Atq; hæc differentia pertinet ad causam impellentem, & objectum, nempe τὸ Φιλητὸν seu amabile, quod ad sui amorem allicit propter eam bonitatem, quæ ei adest. Illa autem bonitas, vel ex honestate, vel ex utilitate, vel ex jucunditate æstimatur, ac proinde triplex amicitia objectum constitui potest: honestum, utile & jucundum.

VIII. 4. Ut benevolentia illa sit ejus ipsius gratia, qui amatur animo concepta. Per hanc differentiam distinguitur amicitia 1. ab adulatione, quâ quis aliquem amat non propter seipsum, sed propter utilitatem, & privatum aliquod suum commodum, quod ab eo expectat: Verus autem amicus alterum diligit, etsi nihil utilitatis & commodi ab eo sit accepturus. 2. ab eo affectu quo diligimus res inanimatas, veluti pecuniam, agros, hortos, pretiosas vestes; aut bestias, veluti equos, boves, canes, & his similia alia, quæ

22

quæ non propter se, sed quia nobis possunt esse utilia, amamus, neque illis per se optamus aut cupimus contingere bona sed tantum propter nos ipsos. Ridiculum enim esset inquit Aristoteles lib. 8. Ethic. Nicom. c. 2. si quis equo aut vino bene velit propter equum & vinum: sed illis bene volumus, propter nos ipsos, ut nimirum equo possimus uti in peregrinando, sicut vino possimus uti in bibendo, amico autem debemus bene velle & cupere, quatenus est amicus, non propter nos ipsos.

IX. Hæc de definitione amicitia, sequuntur *eius causa*, & primo quidem *procreantes*, quæ sunt *vel per se & primaria, vel per accidens & secundaria*. Inter *primarias* recensetur 1. *ipsa natura*: nam homo juxta *Aristotelem* natura est animal politicum, vel, ut idem *Philosophus* lib. 1. Polit. c. 2. loquitur: Homo magis animal est civile, quam quævis apis & quodvis animal congregabile; idcirco etiam magis appetit amicitiam, & conjunctionem cum sui similibus, quam reliqua animalia. Hinc *Plutarchus* in *Comment. τῷ πρὶ Φιλαδέλφιας* scite inquit: Natura ipsa dux est ad benevolentiam præcedens iudicium, nec expectans illam vulgò celebratum salis modium, quippe quæ amicitia seminarium inseverit.

X. 2. Et quidem potissimum *similitudo & æqualitas ætatis, ingenij, vitæ, morum ac studiorum*. Sicut enim dissensio plerumque ex horum dissimilitudine, vel inæqualitate nascitur, ita est contra vera consensio, quæ est fundamentum amicitia, ex eorundem similitudine vel æqualitate proficiscitur. Verè namq; *Cicero* in *Lælio* ait. *Nihil est, quod tam attrahat ad amicitiam, quam similitudo, quæ fit, ut bonos boni diligant, asciscantq; sibi quasi propinquitate conjunctos*. Et iterum in *Catone Majore*: *Similitudo mater est benevolentia, consuetudinisq; & familiaritatis conciliatrix*. Primaria igitur & principalis causa efficiens amicitia est æqualitas, ubi tamen intelligitur non saltè arithmetica in officiorum ac personarum paritate consistens, verum etiam geometrica qualitas, cum personæ quidem quoad dignitatem sunt inæquales; ista tamen inæqualitas personarum æqualitate officiorum compensatur, eâ omnino ratione & modo, ut illud cuique tribuatur, quod ei debetur. Sic quando parentes libe-

ris præstant educationem, & hi vicissim parentibus exhibent debitam reverentiam, & obedientiam, æqualia censentur beneficia, quæ amicitiam conciliant.

XI. 3. *Conversatio, convictus, & consuetudo*: Ut enim vinum moribus potatorum se commiscet: ita quoque animus consuetudini sese insinuat, & sodalibus, ut loquitur Demosthenes apud *Stobæum*. Unde & *Athenæus* lib. 4. ait, amicos à se mutuò procul habitantes non esse amicos, nec posse amicitiam suam mutuis officiis testatam facere, & propterea non videri amicos, nec haberi pro amicis. Et sanè quia amici sunt eligendi, antequam diligendi. Nam amicus est & esse debet alter ego, uti habet *Aristoteles* lib. 9. *Ethic.* c. 9. idcirco necessarium est, ut ejus natura, & vivendi ratio exactè cognoscatur, id quod ex conversatione & convictu optimè constare potest. Nullibi enim mentem alicujus rectius ac melius explorare possumus quàm hic.

XII. 4. *Propinquitatis & cognatio sanguinis*. Quidni enim hæc homines moribus reddat iisdem assuetos, ac unius mentis, efficiatque ut unus quasi fiat ex pluribus? Multum certè sanguinis valet cognatio, ut habet *Cicero* pro *Roscio Amerino*. Quam amandi affectionem naturæ uterus concipit & parit, efficacior rem similitudinis & æqualitatis suscipit & fovet ratio major, vitæ consuetudo, & convictus firmat, & habitus constantiâ induit atque exornat frequentior. Amicitia perfecta nascitur si cognatio adest. *Marsil.* *Ficinus* in *Lysid.*

XIII. Secundariæ causæ amicitiae possunt esse variæ: Præcipuæ tamen sunt hæ: 1. *utilitas*. Ad hanc maxima pars hominum magis quàm ad virtutem respicit. Unde *Cicero* in *Lælio* inquit: *Plerique, neque in rebus humanis quidquam boni norunt, nisi quod fructuosum sit, & amicos tanquam pecudes eos potissimum diligunt ex quibus sperant se maximum fructum esse capturos.* 2. Est *voluptas*. Juvenes enim vix alia de causa quàm ob mutuam oblectationem ineunt amicitiam. 3. *bonorum affluentia*. Sicut enim muscæ ad caulinae nidorem advolant, ita amici haud pauci ad fortunam potiorem: quod ipsum *Ovidius* lib. 1. *Trist. Eleg.* 8. innuit, dum canit:

Donec

228
Donec eris felix multos numerabis amicos

Tempora si fuerint nubila solus eris.

4. *Egestas.* Qui enim tenuioris sunt fortunæ, atq; alieno auxilio & consilio opus habent, amicos maximè desiderant, atque sic aliorum familiaritati sese insinuant, ut quod ipsi per se minus habent, aut præstare possunt, ab aliis id accipiant. 5. *In rebus secundis & adversis societas.* Qui enim eosdem honores simul sunt adepti, vel in eadem pericula inciderunt, v. g. qui simul fecere naufragium, vel unâ pertulere vincula, illi facilè sese invicem amant. 6. *Quicquid deniq; amoris principium esse potest.* Licet enim amor & amicitia non sint simpliciter idem, attamen quæ sunt amoris principia, ea ferè omnia & amicitiaæ ortum largiuntur.

XIV. Causam amicitiaæ procreantem excipit causa ejus conservans & perpetuans, quæ ab *Aristotele* lib. 8. *Ethic. Nicom.* c. 5. statuitur conversatio ac convictus: 1. quia sine conversatione & mutuo convictu non potest declarari præcipuus amicitiaæ usus, qui consistit in mutui officiorum, obsequiorum, ac beneficiorum communicatione, quæ alter alteri vel utilis vel jucundus est. Talis autem officiorum communicatio non nisi inter eos locum habet, qui unâ vivunt, & inter se invicem conversantur. 2. quia intermissione conversationis & absentia amicorum paulatim languescunt, & tandem dirimuntur amicitiaæ, juxta illud *Isocratis*: *ἢ ἀπεργαστηρία πολλὰς Φιλίας διέλυσε.* Unde concludimus ad amicitiam firmiter conservandam maximè requiri conversationem & convictum. Quo ipso tamen non asserimus, amicos perpetuò cohabitare, & convivere debere, cum id propter negotiorum suorum utriq; incumbentium diversitatem impossibile sit. Ideoq; non quævis absentia enervat amicitiam, possunt enim amici salvâ manente amicitiaæ lege aliquando locis disjungi: quamvis disjunctio longior amicitiam, si non funditus tollat, ut plerunq; fit, ad minimum tamen frigidiorum & hebetiorum faciat. Propterea hic meritò distinguitur inter *presentiam amicorum & corporum.* Illa perpetuò requiritur. Hæc non tam ad amicitiaæ propagationem, conservationem & confirmationem, quàm ad acquisitionem, vel genera-

nera-

nerationem. Deinde etiam distinguendum est inter *absentiam plane mutam*, quæ ne quidem per amicorum aliorumve vel literarum internuncium interpoletur; Et *vocalem*, dictis mediis ad sui ipsius restorationem utentem; Prior, non posterior rejicitur.

XV. Ad *formam* amicitiae spectat r. amare & amari, h. e. amor tàm activus quàm passivus; magis tamen in amore activo, quàm passivo consistit amicitia. a. Officiorum commutatio, & honorum communio, quæ est vel manifesta, vel obscura. Manifesta dicitur, quæ certo consensu, facto, & contentione constat, & quidem circa objecta certa, ita, ut amici certis conditionibus & pactis sese mutuo obligent. Talis per modum stipulationis communio est inter cives, confederatos, commilites &c. Obscura communio est, quæ non externâ aliquâ contentione, aut pacto innititur, sed quam ipsa natura hominibus tacitè inserit. Talis est inter parentes & liberos, inter fratres, cognatos, conjugatos, affines &c.

XVI. Materia in quâ seu *subjectum* amicitiae sunt homines probi, utiles, & jucundi, seu potius eorum societas. Materia circa quam seu *objectum* est, ut antea dictum, τὸ φιλητὸν, amabile. *Finis* est felicitas politica, seu civilis; quia enim amicitiae fundamentum seu materia est hominum societas; omnes verò societates reliquæ ad ultimam illam, & perfectissimam, nempe politicam felicitatem reducuntur, idè & amicitiam eò reduci oportebit.

XVII. *Affectiones* amicitiae petuntur, ex eo amore, quo vir bonus seipsum prosequitur, nempe ἐκ τῆς φιλαυτίας. Quia enim amicus est tanquam alter idem, idè eum quoque sicut nos ipsos amare debemus. Notæ autem sive proprietates τῆς φιλαυτίας numerantur sex: sibi ipsi bene velle, benefacere, consentire, cohabitare, congaudere, vel condolere, suam denique salutem & incolumitatem, imprimis expetere. Eadem verò in amicitia quoque locum habere ostendit *Aristoteles* lib. 9. *Ethic. Nicom.* c. 4. ex quibusdam definitionibus vel descriptionibus amici è quotidiano sermone desumptis.

27

XVIII. Ex his jam dictis proprietatibus τῆς Φιλαντίας colligit Aristoteles d. l. quatuor amicitiae adjuncta, quorum 1. est ἡ εὐνοία *benevolentia*; alterum ἡ εὐεργεσία *beneficentia*; tertium ἡ ομόνοια *concordia*; quartum ἡ συμβίωσις *convictus*. *Benevolentia* hoc loco pro adjuncto amicitiae sumpta, est occulta quaedam propensio, & boni exoptatio, vel ut eam describit Scaliger est appetitus boni pro eo quem amamus. *Beneficentia* est actus secundus dilectionis, quae erga alios nostram voluntatem reipsa & factis declaramus, eoque nobis charos esse ostendimus. *Concordia* est politica seu civilis inter bonos consensus de rebus gravibus utilibus & ad vitae societatem pertinentibus. *Convictus* est amica inter bonos conversatio conjuncta cum mutua officiorum communicatione.

XIX. De officiis amicitiarum hoc in genere tenendum est, ut suum cuique tribuatur, & paria partibus compensentur officiis. Imprimis vero delectus habeatur personarum quae quibus anteant. Sic enim proportione personarum cognita ipsorum quoque officiorum ad similem analogiam reductio tanto erit facilior & expeditior.

XX. Cum virtutibus hoc commune est amicitiae quod habeat *extrema*. Generaliter autem tam excessus quam defectus *inimicitia* dici potest. Specialiter tamen excessus vocatur ὑπερφιλία *nimia amicitia*, & defectus ἀφιλία *amicitiae negatio* & *aversatio*. ὑπερφιλία Est caecus & perversus amor, qui in amicorum gratiam nil sceleris, nil flagitij committere veretur. ἀφιλία inimicitia in specie ita dicta est, quae aमितus amicitiam & conversationem omnem negligimus. Estque *vel manifesta vel occulta*. *Manifesta* est vel μισανθρωπία *vel odium*. μισανθρωπία est omnis amicitiae & conversationis aversio & fuga aliorum dicta & facta absque discrimine culpans, & omnia redarguens. *Odium* est affectio animi, conditioni alterius adversa, quae alter alteri damna & incommoda & vovere, & si facultas dederit, inferre studet. *Occulta* est ficta illa & fucata amicitia, quae homines parum probi externam amici personam inductam nihil non externorum officiorum amicabilium sui commodi gratia simulant, animo interim a virtute, veroque amicitiae cultu alienissimo fluentibus divitiis delitiisque praesentes, defluentibus celeriter & procul

procul avolantes. Ad hanc *adulatio*, quâ in amicitiiis nulla major pestis, revocatur ac reducitur.

XXI. Dividitur, verò amicitia non uno modo r. *divisio* desumitur ab *objecto*, quod est τὸ Φιλητὸν amabile. Sicut autem hoc triplex est, honestum, utile & jucundum; ita etiam *triplex* constituitur *amicitia*, nempe honesta, utilis & jucunda. *Honesta* est, quam solius virtutis conciliat studium & exercitium; seu ut *Piccolomineus* Gradu. 7. philos. moral. c. 3. eam plenius definit: *Amicitia* (honesta) est proborum hominum mutuus, conspicuus, confirmatusq; honor ex probitatis cognitione consurgens, ad vitæ honesta conjunctionem perducens. Hæc, primariò, simpliciter, ac propriè dicitur amicitia & est perfecta; 1. quia in honestâ amici propter solam virtutem, quæ propter se & non propter aliud expetitur, se mutuò amant. 2. quia hæc sola est stabilis, seu firma & constans, cum fundamento satis firmo, videlicet virtuti innitatur. 3. quia est tantum inter bonos, 4. quia est ἀδιάφλητος h. e. non dat locum calumniis & suspicionibus. 5. quia in se complectitur omnia reliqua amabilia, nimirum & utilitatem & jucunditatem. 6. quia est rara, tûm propter raritatem bonorum tûm propter diuturnam conversationem, quam requirit, quò quid verò est rarius, eò perfectius. Reliquæ duæ amicitia, quæ sequuntur, nempe utilis & jucunda, non sunt perfectæ amicitia sed dicuntur impropriè tantum. & secundum quid, quatenus de prima participant. Atque ita tres illæ species amicitia, non sunt perfectæ univocè sed analogæ.

XXII. Amicitia utilis est, quam solius commodi consuit ardor & perceptio. Hæc instabilis est, quia non diutius durat, quàm quæstus; adhæc mutuam conversationem non admodum requirit: Nam 1. alter alteri potest esse utilis, etiam si sit locis distinctus. 2. amicitiales ad conversationem non satis sunt idonei partim ob morositatem, seu vitium ætatis senilis: Utilis n. amicitia potissimum locum habet in senibus, & iis, qui senili vitio, hoc est, avaritiâ laborant & ad quæstum omnia referunt; partim ob suspicionem; qui n. avaritia laborant & non nisi dolo malo omnia fieri putant & volunt, jucundâ gratâq; conversatione s. consuetudine haud utuntur. Quandoquidem semper metu-

unt, ne alter alterius commodum prævertat, aut ejus artes, fraudes ac fallacias in faciendo lucro animadvertat. Ad hanc speciem potest etiam referri *amicitia hospitalis*, quæ etiam utilitatis gratia inter aliquos constitui solet. Cæterum *amicitia utilis* est duplex, vel *moralis* vel *legalis*, *Moralis* est, in quâ officiorum & beneficiorum fit compensatio, non ex aliquo pacto aut conditione sed ex amici utriusq; benevolentia & arbitrio secundum morem & consuetudinem communem, quam ipsa ratio, & naturalis æquitas præscribit. *Legalis* est, in qua fit officiorum & beneficiorum compensatio ex antecedente pacto & remunerandi compromisso. *Hæc legalis* rursus duplex est; *altera* forensis quasi & mercatoria, aliàs stricta dicta; *altera* liberalior. *Stricta* est, in quâ de manu in manum merces aut pretium dinumeratur; seu in quâ officiorum & beneficiorum retributio statim fit sine ullâ temporis morâ aut dilatione, qualis quidem in foro mercatoribus, emptoribus & venditoribus in usu est. *Liberalior* est in quâ retributio & compensatio vel tota permittitur alterius fidei & integritati, vel differtur in aliud tempus benevolentia causa, quia is, qui beneficium accipit, non habet, unde statim possit compensare.

XXIII. *Amicitia jucunda* est, quam voluptatis constat frui-
tio. Hæc itidem instabilis est 1. *propter inconstantiam* & mutabilitatem ætatis juvenilis; siquidem præcipuè locum habet in juvenibus, qui plerunque secundum affectus vivunt, omnesque suas actiones voluntate metiuntur, ideoque etiam expetunt mutuam conversationem qua se invicem oblectare possunt, 2. *propter naturam voluptatis*, quæ etiam est momentanea, 3. *propter varietatem affectuum*, quibus nunc huic, nunc illuc agitantur, merito tamen præfertur hæc *amicitia utilis*, quoniam ad veram sive honestæ amicitia naturam propius accedit, ut docet Aristoteles lib. 8. *Ethic. Nicom.* c. 6. idq; non sine ratione. 1. *quia* magis est ingenua, & homine liberaliter educato dignior. Utilem nam amicitiam præcipuè sectantur homines avari & sordidi, qui ex amicitia lucrum & quæstum facere conantur. 2. *quia* humana natura magis indiget, diutiusq; conservatur dilectione, quam rerum copiâ. 3. *quia* beati quoque jucundos potius amicos expetunt

unt propter conversationem, quam utiles, quoniam nullā re-
egent. 4. quia progressu temporis facilē in perfectam amici-
tiam transmutatur. Cujus rei exemplum peti potest ex amici-
tiā in scholis contractā: quæ initio colitur propter jucundita-
tem; postmodum verò propter diuturnam temporis consuetu-
dinem in perfectam transmutatur. Unde *Quintilianus* rectē
ac verē pronuciavit; Nullas amicitias firmiores esse, quā
quæ in scholis cæperunt.

XXIV. Hæc de primâ amicitia divisione ratione objecti.
Sequitur nunc alia ratione personarum contrahentium, quarum
consideratur tum conditio tum societas. Sicuti autem conditio
hominum vel est æqualis vel inæqualis: alij n. quoad dignitatem
& statum inter se sunt æquales, id est, æquæ sunt potentes, divites,
nobiles, aut aliis rebus pares: alij verò sunt dignitate, potentiâ,
nobilitate ac opibus impares, & inter se in æquales adeo ut unus
sit superior, alter inferior. Ita etiam amicitia est duplex: alia
ἐν ἰσότητι, in æqualitate; alia *ἐν ὑπεροχῇ* seu *ἀριστοτητι* in excellen-
tiâ s. in æqualitate consistens. Amicitia æqualis est inter eos, qui
ætate moribus, dignitate conditione, & aliis bonis sunt æqua-
les, ideoque æqualia sive paria sibi mutuò præstare possunt, of-
ficia: ejusmodi sunt fratres, commilitones sodales, condiscipu-
li, contribules. Inæqualis amicitia est inter eos, qui diversæ
sunt conditionis, ita ut alter alterum longē superet, qualis est
amicitia inter patrem & filium, Dominum & servum, mari-
tum & uxorem, magistratum & subditum, senem & juvenem,
divitem & pauperem. In his & similibus amicitis, quia perso-
næ sunt inæquales, inæqualia etiam ab iisdem postulatur offi-
cia. Sic aliud pater postulat à filio, quàm filius à patre. Nam
pater à filio requirit observantiam, & obedientiam; filius à pa-
tre amorem & omnium pro vitæ conservatione necessariorum
subministrationem. Pari modo aliud Magistratus à sub-
ditis, & subditi aliud à magistratu postulant. Magistra-
tus enim à subditis censum & honorem, subditi à Magi-
stratu sui suorumque defensionem postulant. Quæris quo
pacto inter ejusmodi inæquales personas possit existere amici-
tia, cum ejus causa efficiens supra à nobis sit constituta æquali-
tas.

tas? Respondet ad hoc *Aristoteles* lib. 8. *Ethic. Nicom. c. 7.* in
 ejusmodi amicitis quærendam esse æqualitatem secundum pro-
 portionem Geometricam, per quam ea, quæ alioquin inæqua-
 lia sunt, possunt etiam ad aliquam æqualitatem revocari, v. g.
 Etsi pauper, quoad opes & facultates, non potest paria retribuere
 diviti, qualia ipse accepit: potest tamen ea compensare aliis
 officiis: eodem etiam modo liberi nunquam possunt parentibus
 retribuere paria beneficia & officia, qualia ab illis acceperunt:
 attamen ea quodammodo possunt compensare suâ obedientiâ
 & observantiâ, quâ vicissim suos parentes prosequuntur. Pro-
 inde hic non spectanda est æqualitas secundum arithmetica-
 m proportionem, in quâ ratio habetur dignitatis & conditionis
 personarum, ut tantum quisque retribuatur, quantum pro virili
 suâ potest. Et hoc modo etiam inter eos, qui sunt inæqualis, &
 diversæ conditionis, firmæ & stabiles possunt esse amicitia.

XXV. Hæc de amicitia ratione conditionis: sequitur nunc
 divisio ratione societatis. Ut autem societas alia dicitur pri-
 vata, alia publica. Ita etiam *amicitia alia* est privata, *alia publi-*
ca. *Privata* amicitia est inter homines, prout vitam privatam
 vivunt. Estq; duplex *φύσική* & *ἐπιεική*, h. e. vel ex natura,
 vel ex electione provenit. *φύσική* seu *naturalis* est, quam ipsa
 natura mentibus hominum tacitè & occultè indidit, ita ut non
 ex aliquo manifesto pacto sed naturæ instinctu sese mutuò
 amant. Amicitia *ἐπιεική* est, quæ ex humanâ ratione, & præ-
 electione inter alios, eosque pares prodit & ad honesta-
 tem tendit. Amicitia publica sive politica est,
 quæ in diversis Rerum publ. formis
 habetur.

B 3

QUÆ-



QUÆSTIONES.

1. *An de amicitia in Ethicis rectè agatur? Aff.*
2. *Num amicitia sit virtus? Neg.*
3. *An amicitia sit bonum externum? Aff.*
4. *Utrum felix amicis opus habeat? Aff.*
5. *Num amicitia possit esse inter plures? Neg.*
6. *An fraternitas inter pocula contracta sit vera amicitia? Neg.*
7. *Num inter diversarum religionum homines amicitia iniri possit? Dist.*
8. *An amicitia possit esse inter malos, & improbos? Neg. de honestà.*
9. *Nam amicitiam interdum dissolvere liceat? Aff.*
10. *An amicis aliquid donare queamus? Aff.*
11. *An omnia in amicorum gratiam sint facienda & patienda? Neg.*
12. *An inter amicos simpliciter & absolute omnia sint communia? Neg.*
13. *An amico reconciliato sit fidendum. Dist.*
14. *Utrum Philantia sit probanda? Dist.*
15. *An vir bonus seipsum maxime diligere debeat? Aff.*

Soli Deo fit laus, honor,
& gloria.

Ad



Ad Præstantissimum & Humanissimum
Dn. Respondentem.

Theilogiam Sophia stabili qui foedere jungit,
Hunc studiis credas consuluisse suis.
Namq; hæc alterius, Domine ceu serva, fidelis
Cum laude exsequitur jussa ministerij
Quod te non, Joachime, latet: cui semper utramq;
Maxima præ reliquis jungere cura fuit.
Hinc Me in Massonium nuper: sed nunc in Amicos
Falsos Nigrino Præfide tela jactis.
Gratulor ergo Tibi, voveoq; ut premia digna
Ex Sophia castris Theilogicæq; feras.

Jacobus Weller D.

Ad Dn. Respondentem de amicitia dispu-
tantem *ωγο φώνησα* Decastichon.

UT Mars sevit adhuc, ciet & Bellona tumultus,
Frigida dum gelidas Amphora fundit aquas.
Tu mi fautor Amicitiam complecteris almam,
Deq; illa docto differis ore bene.
Rara avis in terris alboq; simillima corvo
Non fucata datur Præctica Amicitia.
In Praxi inq; Theoria JOACHIME laboras
Demonstrare, rei quid sit Amicitia.
Dispereant hostes, Tu perge fodere Φιλίαν
Sic Cælo & Terra gratus amicus eris.

T. quem nosti

M. Joh. Segerus P. L. R. C. Sch.
Witteberg.op. Rector.

Ad



Ad Dn. Respondentem Amicum Fratris
instar amandum.

Qua sit Amicitia vere natura probando,
Non frustra, Amice, disputas.
Namq̄ licet corvo nonnunquam rarior albo
In hoc vel illo sit loco:
Attamen in multis, albus ceu corvus in axe,
Frequens magis est, perfectaq̄.
Hinc meritò Tibi materies electa, profectus
Cum laude quā ederes tuos.
Et benè cœpta Tibi succedunt: gratulor optans,
Majora suggerat his Deus,
Quò sit Amicitia Tibi fas decerpere multo
Satos labore flosculos.

M. Christianus Porlitius
Bregâ Silesius.

05 A 2M

ULB Halle 3
003 783 367




WMA

Oct.







B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

22

כיה

Philosophica

ITIA,

אמ

RESIDIO

NIGRINI,

acult. Philos. p. t. Decani

υζητησιν emitte

ROCKWEDELIUS

n. tzensis,

abebitur

eteris *Ἀεροατηρίω*

uar. horis matutinis

VID.

, per amici fallere nomen.

licet sit via, crimen habet.

BERGÆ,

ANNES RÖHNERUS,

M. DC. XXXVII.

